Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 365
Quelle:
Copyright:

Si quid video, *Henricus* iſte Monachus *Gregorii* Opera pro Coenobii Bibliotheca auſpiciis *Wilhelmi* Prioris ſeu Abbatis deſcripſit, iisque hederam hanc ſuam adpendit.

V. *fol.* 105. Epigrammata varia et Rhythmi in laudem SS. *Auguſtini*, *Gregorii M.* et *Bernardi* illorum Libris aut Memoriis, ut videtur, adſcripti. *Auguſtinus* hic non ſemel *Pater noſter* audit, unde conjicio pleraque haec exarata fuiſſe *Coloniae* apud Crucigeros *Auguſtini* regulam ſequentes, ad quos olim, ut in principio adnotavi, *Codex* pertinebat. Inter alia:

Mille voluminibus pater auguſtine refulges
Mentitur qui te totum legiſſe fatetur.

Epitaphium *Gregorii*, quod recitat *Ciaconius* T. I. *Vitt. Pontiff. col.* 406. *Suſcipe terra tuo* &c. Alterum διαλογικον *Bernardi* tributum *Morando Cluniac.* et jam alibi relatum, cujus V. 8^{vus}. hic non male legitur:

Non. *Dic ergo, quid hoc?* Eſt Bernhardus bona nardus.

Succedit Epitaphium a *Damaſo* Pont. ſibi ſcriptum, pariterque a *Ciaconio T. cit. col.* 260. relatum: *Qui gradiens pelagi fluctus* &c. Variat nobis: *letalia vincula* pro *lazaro ſua*, et *Marthe* pro *Marie. In Yconica* (imagine) *ſancti petri:*

Solue iubente deo terrarum petre cathenas.
Qui facis ut pateant celeſtia regna beatis.

Diſtichon nunc in *Breviarium Rom.* cooptatum, quemadmodum *pag.* praeced. illud: *Hic vir deſpiciens mundum* &c. quod ibi *Gregorio* M. adplicatur. Aliud *in Baſilica ſancti Pauli apoſtoli rome ubi ſacrum eius ſepulchrum eſt in velo quod a rege quodam datum eſt.*

Teudoſius cepit perfecit honorius aulam
Doctoris mundi ſacratam corpore pauli.
Diſcipulis cunctis domini prelatus amore
Dignus apoſtolico primus honore coli.
Sancte tuis petre meritis hec munera ſupplex
Chintila rex offert, Paule ſalutis opem!

Viſigothis in *Hiſpania* praefuit *Chintila* ab an. 636. ad an. 640. *Toleti* mortuus et a Patribus Concilii *Tolet.* VI. an. 638. multum a ſincerae Religionis ſtudio laudatus. Confudit vero Librarius noſter